

www.e-rara.ch

Regale sacerdotium Romano pontifici assertum

Sfondrati, Celestino

Typis Monasterij S. Galli, Anno 1693

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117287>

Liber IV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LIBER IV.

PROPOSITIO IV.



Icèt Pontifici Max. Vicario Christi summa in Ecclesiam Catholicam sit potestas à Deo concredita; ea tamen est ad ædificandum, non destruendum, nec contra veritatem, sed pro veritate. Non poterit ille in lege divina & naturali dispensare, quæ totius Ecclesiasticæ disciplinæ, ac vitæ Christianæ fundamenta sunt. Nec etiam nulla aut levi ex causa leges Canonicas solvere. Quid enim hoc aliud esset, quàm contra monitum sapientis sepem dissipare, & unâ manu destruere, quod Apostoli, quod Patres tanto laborum, sanguinis ac vitæ impendio alterâ manu construxerunt? Si tamen necessitas aut utilitas Ecclesiæ poscat, publica præsertim, ad eundem sumum Pontificem spectabit, iisdem clavibus, quibus Cœlum, etiam Canones aperire, & canonicum rigorem paternâ indulgentiâ dispensando mitigare. Neque hoc est contra, sed maximè juxta Canones agere, qui hoc ipsum summis Pontificibus concesserunt.

S. I.

Papam in lege divina & naturali dispensare non posse.

SUMMARI A.

1. *Sicut res omnes, sic Pontificis auctoritatem terminis includi.*
2. *Testimonijs sanctorum Patrum & Doctorum non posse summum Pontificem in legibus divinis & naturalibus dispensare ostenditur.*
3. *Et rationibus.*
4. *Non posse ergo Pontifices jurì questio, pactis, & privilegijs, quæ in pactum transierunt, derogare.*
5. *Posse tamen in jure Naturali permisso, votis, juramentis Deo factis, & Canonibus Apostolorum ex causa dispensare.*

I.

Inter alia, quæ à Sapientibus sunt sapientissimè pronuntiata, est etiam illud Pittaci: *Ne quid nimis.* Habent enim omnia suos fines, suos limites, suos crescendi agendi que terminos, quos si moveas, nimium que prolates, illud quod in rerum natura pulcherrimum est, continuo deleas, pacem videlicet ordinem que; quod turpissimum inducas, hostilitatem, confusionem. Habent stellæ suas sphaeras, metas que currendi, quibus continentur; nec sol lunæ, nec luna solis imperium ac fines occupat; quanta clades rerum que omnium intemperies, si metas perrumperent? Habet aer suas regiones, quibus coercetur, nec supra agitur, ubi ignis imperium: nec infra, ubi terræ jus est. Mare & ripas, & litus observat, & cum possit excurrere, si vim molem que aquarum spectes, modeste ta-

men

men ad arenam subsidit, ni faciat, mundi naufragium erit. Denique omne vitium in excessu est.

Malè igitur publico bono consultum eunt, qui tantum Principibus tribuunt, quantum volunt; nec immensè illorum potestati alium terminum ponunt, quàm cupiditas, naturali divinâq; legibus in exilium actis.

At verò hanc potestatem ex legem, effrenem, ac inverecundam, nec Apostolus admisit, qui *pro veritate tantum, non contra veritatem, ad adificationem, non ad destructionem* se aliquid posse dicebat. Vanæ igitur sunt illæ, & ne quid acerbius loquamur, inconsultæ quorundam Jurisconsultorum voces, eam Pontificibus afferentium potestatem, quam ipsi Pontifices erubescunt: *Deos quosdam esse in causis beneficialibus: mutare posse quadrata rotundis: uno verbo sine alio ritu Sacerdotes facere: dogmata condere: sanctos, impollutos, segregatos à peccatoribus esse: & alia multa, quæ licet innocentem aliquem, sanumque sensum habere possunt, ipsâ tamen verborum specie absurdissima sunt, ac hæreticis risum, Catholicis indignationem movent.* Quibus meritò illud *Jobi 13.* occinere possis: *Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes! Numquid enim Deus indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos? Pharisaicæ sunt istæ voces: Tu quis es? Messias es tu? Elias es tu? Propheta es tu?* Quibus modestissimus Joannes: *Non sum ego Christus, non sum Elias, non sum Propheta; in medio autem vestrum stetit, cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* In quem locum eleganter B. Gregorius: *Elegit Joannes solide subsistere in se, ne humanâ opinione raperetur inaniter super se, ut veritatem loquens ejus membrum fieret, cujus sibi nomen fallaciter non usurpavit: scilicet, dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere.* Hujus sancti Præcursoris modestiam summi Pontifices imitati, suam potestatem, quamvis cælestem, omnique humanâ majorem, naturalibus tamen ac divinis legibus subjectam professi sunt. Ipsos, aliosque SS. Doctores audiamus.

II. Urbanus Papa in c. sunt quidam 25. q. 1. *Sunt quidam, dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò sumopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelista aliquid, & propheta nequaquam dixerunt. Ubi verò aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid desinierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex*

tifex dare, sed potius, quod predicatum est, usq; ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Propheta, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.

Innocentius III. in c. litteras de Restitut. spoliator. Opinioni autem ultima non videtur incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis divinã lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humanã restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alij dispensarunt.

Alexander III. in c. super eo 4. de usur. Cum usurarum crimen utriusq; testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus.

S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur; unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit, ita in præceptis juris divini, qua sunt à Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.

Idem in 4. d. 47. a. 4. Quæ sunt ordinata per legem divinam, non sunt mutabilia, vel dispensabilia, nisi præcepto Divino.

Et infra: Contra præcepta secunda tabula, qua ordinantur immediatè ad proximum, Deus potest dispensare, non autem homines in his dispensare possunt.

Idem in quodlibet. 4. q. 8. a. 3. Circa ea verò, qua sunt juris divini vel naturalis, dispensare non potest Papa, quia ista habent efficaciam ex institutione divina. Jus autem divinum est, quod pertinet ad legem novam vel veterem: sed hac est differentia inter legem utramq;: quia lex vetus determinabat multa, tam in præceptis ceremonialibus pertinentibus ad cultum Dei: quam in præceptis judicialibus pertinentibus ad justitiam inter homines conservandam: qua in novo testamento non obligant, nisi assumantur ab Ecclesia vel aliquã civitate pro suo statuto: & hoc quoad judicialia: nam ceremonialia ex toto cessant. Sed lex nova, qua est lex libertatis, hujusmodi determinationes non habet: sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratia: unde etiam dicitur lex fidei, & lex gratia propter determinationes articulorum fidei, & efficaciam sacramentorum. Cetera verò qua pertinent ad determinationem judiciorum, vel determinationem Divini cultus, liberaliter permisit Christus, qui est nova legis lator, præ-

latis Ecclesia & Principibus Populi Christiani determinandi. Unde omnes hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum: in quo Papa potest dispensare. In solis verò his, quæ sunt de lege natura, & in articulis fidei & Sacramentis nova legis dispensare non potest: hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem.

Præter Divum Thomam tenent hanc ipsam sententiam S. Bonaventura in 4. d. 38. a. 2. S. Antoninus 3. p. T. 22. c. 7. S. 23. Suarez Tom. 3. de Euchar. q. 74. d. 43. Dur. Sylv. Navarr. Valent. omnesque ferè Theologi.

III. *Ratio prima est: Quia tota dispensandi ratio in lege humana illa est, quòd humanus Legislator non omnes casus, omnesque circumstantias prævideat, quæ possunt occurrere, & in quibus æquius sit legem solvi, quàm observare: imò etiamsi prævideret, non idèò subvenire omnibus posset: & idèò ad illa, quæ plerumque, & in plerisque contingunt, spectat; quæ rarè eveniunt & in paucis, casui committit: casum prudentiæ & dispensationi, tunc videlicet, cum publico bono legem dispensatione moliri potius convenit, quàm ejus observantiam severè premi, pro ut eleganter animadvertit S. Thom. in 3. d. 37. q. 1. a. 4. sub init. & L. 3. cum seqq. ff. de Legibus. Dispensatio igitur ex ignorantia partim legislatoris, partim ex impotentia defectuque legis nascitur, non semper nec in omni casu publico privatoque bono accomodate. Secus est in lege divina, seu positiva, seu naturali; cum Deus omnia prævideat, omnesque futuros eventus ante oculos distinctissimè habeat, sicque leges suas omnibus æquè casibus, omnibus personis adaptet: nec tantùm quid fieri velit præcipiat, sed præceptis gratiam viresque implendi adjungat, ut planè nullà sit opus dispensatione, aut si aliquà opus sit, soli Deo reservetur, qui legum suarum modum, finem, terminosque notos habet, homini ignotos abditosque, quod pulchrè S. Doctor exemplo causarum naturalium ostendit, quarum ordinem nexumque à Deo institutum mutare nemo, aut suspendere potest; aut si necessitas mutandi occurrat, non homini ea mutatio, non naturæ permittitur, sed à Deo expectanda est. S. Thom. in 4. d. 47. a. 4.*

Ratio 2. Sola jura humana varietate temporum, urgente necessitate, aut evidente utilitate variare possunt, ut habetur in c. non debet. 8. de Consanguinit. & affinit. divina verò & naturalia Jura immutata.

mutabilia sunt. argumento c. cit. & c. fin. de Consuetud. Reg. Juris 88. in ff. instit. de J. N. G. & C. §. 11. & Cic. 3. de Republ. ubi inter alia : Huic legi nec derogari fas est, nec abrogari aliquid ex hac licet, nec tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hæc lege possumus : nec erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia post, sed in omnes gentes, omnig³ tempore una lex, & sempiterna erit immutabilis. Si ergo naturalis lex, ejusque obligatio est immutabilis, ergo nec dispensationem admittit; hæc enim obligationem legis non mutat solum, sed etiam perimit: nam si velis eo solum nomine naturalem legem immutabilem esse, quia nec tota, nec sæpe dispensationem patitur; parùm illam, aut nihil à lege humana distinguis, cum multæ sint humanæ leges, quarum obligationem nec totam deleri expedit, nec multâ dispensatione & passim solvi, quales sunt, v. g. de matrimonijs in secundo gradu consanguinitatis, aut primo affinitatis, &c.

Ratio 3. Cum dicis in legibus naturali & divinâ dispensare Pontificem posse, quâ faciat hoc auctoritate? humanâ an divinâ? non humanâ, quia certum est non posse in lege superioris inferiori dispensare, alioquin prævaleret minor majori potestati, si quod hæc ligavit, illa solveret, & sunt textus *Clementin. 1. ne Romani de el. c. inferior d. 21. c. cum inferior de major. & obed. non ergo potest humanâ potestate Pontifex solvere, quos Deus ligavit. Sed nec divinâ, tanquam Vicario Christi per illa verba sibi communicatâ: Quæcunq³ solveris super terram, &c. hæc enim verba generalia non includunt casus specialissimos; alioquin extendi etiam deberent ad potestatem illam privilegiatam, soli que Christo concessam, quam Theologi vocant *Excellentia*, mutandi materiam Sacramentorum, nova instituendi, obligandi ad ea, quæ sunt meri consilij, &c. quæ nemo Papæ concesserit. Et sacris Canonibus receptissimum est, Vicarium, licet idem tribunal, eandemque cum Episcopo jurisdictionem habeat, adeò ut à Vicario ad Episcopum non appelletur, non posse tamen dispensare in lege ab Episcopo specialiter lata, sed ad ea, quæ majoris momenti, & notâ speciali digna, speciali mandato & concessione indigere, nec generale sufficere c. quid agendum 4. c. qui generaliter 5. de Procuratorib. in 6. Clement. 2. eodem. & sunt exempla in collatione libera Beneficiorum c. 3. de offic. Vicarij in 6. & in casibus, quos Episcopus sibi reserva-*

vit. (a) Cùm ergo dispensare in naturalibus divinisque legibus, hoc est, movere ipsos cardines, & fundamenta vitæ & honestatis humanæ, casus summi momenti, & si quis alius, speciali notâ dignissimus sit, non potest generali concessione comprehendî, quæ *Math. 16.* habetur. Maximè cùm nec Patres, nec traditio hanc potestatem agnoverint, & ipsi Pontifices à te repulerint, ut supra vidimus; cur ergo nos Pontifici tribuamus, quod illis accipere pudor est? Liceat cum D. Bernardo *epist. 179.* in dispari argumento dicere: *Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam Doctorum, mutare colorem optimum, novam inducendo opinionem, quam ritus Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio: nunquid Patribus Doctiores aut devotiores sumus? periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentiam præterivit. At valde honorandus est, inquis, Papa, Vicarius Christi. Bene mones: sed honor Pontificis iudicium diligit. Non eget falso honore veris cumulatus honorum titulis, insulis dignitatum: libenter gloriosus hoc honore carebit, quo falsa induci videtur prærogativa. Alioquin nullâ ei ratione placebit contra Ecclesiæ usum præsumptiva novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levisitatis.*

Ratio 4. Si hanc dispensandi potestatem Pontifices habent, cur illâ usi non sunt, concessâ v. g. polygamiâ, sterilisque uxoris repudio, quando de conservandis Regijs familijs, maximis regnis Catholicâ Religione imbuendis, avertendisque quàm plurimis ac gravissimis malis agebatur? præsertim cùm polygamiâ, & repudiâ non adedè honestati ac naturæ adversentur, ut in veteri lege à sanctissimis viris non fuerint admissa.

Ratio 5. Leges divinæ & naturales sunt regulæ, exemplaria, & amulles quædam omnium honestarum actionum, ipsiusque etiam dispensationis; quid ergo aliud esset dispensando casus leges tollere, quàm lineam ipsam & regulam ac limites honesti tollere, & licentiam erroribus dare? cùm enim non major sit unius divinæ legis, quàm alterius ratio, si una dispensationi cedit, ergo & alia: ergo & illa, quæ jubet Baptismum in aqua, nec aliter conferri: & illa, quæ repudium vetat: & illa, quæ unam marito, non plures concedit: nec hominibus præsertim magnatibus causæ ac necessitates, in speciem saltem compositæ, deerunt, eas dispensationes exprimendi: quid ergo habebimus in Ecclesiâ certi, tuncque,

(a) V. Sanch. l. 3. de matr. d. 59. q. 2.

que, ac hominum cupiditati & artificijs non expositi? licet ergo hæc potestas in paucorum privata commoda aliquando cederet, noceret tamen universis: non ergo Pontifici data, cujus non destruedi, sed ædificandi officium est.

IV. Colligitur ex hac nostra conclusione, non posse Papam, si causa boni publici absit, derogare alterius juri *c. de Ecclesiasticis 25. q. 2. præsertim pactis & transactis c. ex multiplici 3. de decimis. aut privilegij, quæ in vim & naturam pacti transferunt c. privilegia. c. de Ecclesiasticis. c. quod verò. c. dicenti c. privilegia. 1. & 2. 25. q. 2. adeo ut nec clausulis motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, juri quæsito præjudicium fiat, ut ipsi Pontifices declarant in Regula Cancellariæ de jure non tollendo. & c. 15. de off. judic. deleg. c. rescripta & seqq. 25. q. 2. L. si quando 35. C. de inoff. testam. Imò nisi Pontifices exprimant, non præsumuntur ordinariè uti velle plenitudine potestatis, sed potiùs juxta jus commune rescribere *c. proposuit 4. S. licet de concess. præb. (a)**

V. Multis tamen modis hæc nostra conclusio limitanda est.

1. Ut in jure naturali permissivo tantùm, non præceptivo Papa aliùsve Princeps dispensare possit: cùm enim hoc jus abrogari omnino possit, ut de libertate habetur in l. 4. ff. de 1. & 1. & S. 2. *insti. de I. N. G. & Civ. & de communione bonorum can. 1. d. 8. quanto magis dispensatione aliquâ restringi?*

Limitatur 2. Ut in votis ac juramentis, quorum obligatio ex voluntate contractuque hominis existit, dispensari à Pontifice possit; cùm enim voluntas hominis, ab eaque imperati actus, & ex actibus orta obligatio humanæ legi subjacere possint: imò vota & juramenta sub hac conditione, ac lege emittantur, ut potestati ac dispensationi humanæ subjaceant, idque in majorem Dei gloriam, Ecclesiæque bonum cedat, sitque constans in Ecclesia traditio ususque perpetuus, qui optimus divinæ voluntatis interpres est, negari haud potest, cadere in illam dispensationem. *c. quanto 18. de jur. jur.* Quamvis non defuerint gravissimi Doctores, qui negent,
Aaaaa 3
Pon-

(a) Videantur Sanch. de Matrim. l. 2. d. 15. n. 2. Barb. claus. 41. Andr. Gail. 2. observ. 58. & observ. 76. Joannes Chokier in regulam 16. Cancellar. Sylv. v. Papa. n. 12. & seqq.

Pontificem in voto vel juramento dispensare, sed declarare tantum, votum in aliquo eventu non obligare. (a)

Limitatur 3. Ut possit Papa, vel alius Princeps dispensare in quibusdam conclusionibus, quæ ex naturalibus principiis deducuntur, non tamen necessarid, sed dependenter tantum ab humana voluntate, v. g. furem esse extremo supplicio afficiendum, & de his tantum est intelligendus S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3.

Limitatur 4. Ut licet S. Pontifex non possit in jure divino dispensare, possit tamen in præceptis Apostolicis, quæ videlicet non ex naturali, aut divina lege, sed ex humana solum potestate ab Apostolis sunt constituta. Est communis Doctorum cum S. Thoma in 4. sentent. & exempla sunt in bigamo, cum quo dispensatur c. Lector. d. 34. in ordinato absque titulo c. 6. de prabend. & c. V. Gloss. ad c. sunt quidam 25. q. 1. Barb. ibid. Sanch. de Matr. l. 7. d. 86. n. 4. Sylv. v. excommunicatio 5. n. 10. Gonzal. ad c. cum secundum. de prab.

Limitatur 5. Ut possit Pontifex divinam naturalemque legem, cum dubia sunt, interpretari, & in particulari aliquo eventu, obligent nec ne, auctoritative declarare. Sunt enim v. g. aliqui casus, aliquæ circumstantiæ, in quibus dubitari potest, an præceptum veridendi, scænus, hoc est, lucrum supra sortem captandi, homines obliget: oportet ergo aliquem judicem esse, qui litem gliscentem finiat: aliquem interpretem, qui mentem legis evolvat: aliquam facem, quæ in obscuro præluceat: aliquem Magistrum, qui veritatem aperiat: & quis alius præter Vicarium Christi? Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 3. & de potest. 10. a. 4. & habetur ex c. 18. quanto de jurejur. & c. licet 13. de testibus: estque communis Catholicorum, nam hæreticos non moramur. Dabimus hic tantum verba Hugonis Eucheriani viri suo ævo doctissimi, qui floruit anno MCLXXVII. Nulla, inquit, insimulatione, nulla reprehensione, nullaque calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causâ interpretationis dictionem unam, dico autem ex filio procedere Spiritum S. sanctorumque plurium Episcoporum, scientissimorum Cardinalium consensu habito apposuerit. Licuit enim ei, semperque licet frater confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, si ubi aliquid obscure scriptum sit, & de voluntate scriptionis argumentari, judicio voluntatis illius

(a) Videantur S. Bonaventura in 4. d. 38. a. 2. q. 3. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 10. S. Antonin. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. Sylv. v. votum 4. q. 3. dicto 3. Glossa in c. non est de vot. & c. quanto 18. de jurejur. & in c. sunt quidam 25. q. 1.

illius relicto facere, hoc persuadente. Is enim est, cui oves & agni commissi: & idcirco non solum scripti recitator esse debet, verum interpret illorum, quæ adscripta non sunt, ut Caput ovium, & Dei Pastor. Quæ in re manifestum est, antiquioris Romæ Præsulem potestatem in Petro accepisse, fidem renovandi (ut verbis Patrum utar) habendi curam & regimen omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Christianorum. Quare palam & publicè sit ex his, nequaquam licere cuiquam, omnium sanctissimam & magnam, omniumq; Principem Romanam Ecclesiam calumniari, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neq; asserti, neque perdocet, neque aliud tradit symbolum, si editum à SS. Patribus interpretetur, non perpetuens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licet Primatum habeat, autamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit; Injustè inquit, arguor, dum non fidem sed memoriam renovo: non apposui, non ademi salutari symbolo, si dictionem occultam manifestavi. Renovavi enim, ut Patres amedicti, fidem, & apposui Nicæna, Constantinopolitana atq; Chalcedonensi Synodis, sed nullo modo illis contraria; qui dum illorum patrum vestigia persequor, solummodo, quæ tunc quasita non sunt, tempore post per interpretationem & appositionem verbi, quod non perspicuè ab omnibus intelligebatur, enucleavi.

Non obstat. Soliùs Legislatoris esse legem suam interpretari L. fin. ff. de Legib. l. 1. & L. sacratissima C. de legibus, non ergo Pontificis est leges divinam, & naturalem inrerpretari, quas non tulit.

¶. Papam Deum non esse, sed tamen in rebus fidei, morumque decidendis, non humano spiritu, sed divino regi, sicque divinæ legis eundem spiritum & conditorem esse, & interpretem: deinde cum adiri Princeps non potest; cum verus legis sensus ex alijs legibus elici potest, cum à Principe data interpretandi potestas; in his, inquam, casibus, jus interpretandi etiam inferioribus esse patet Deuter. 17. & sunt etiam textus in jure Cæsareo §. 8. Institut. de I. N. G. & C. l. 12. & seq. ff. de Legib.

Liminatur 6. Ut possit dispensare Papa in gradibus Levitici 18. prohibitis, ut definivit Trident. de Matrim. sess. 24. can. 3. & Julius II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege dispensavit, ut posset Catharinam Austriacam prædefuncti Arcturi fratris Viduam ducere. Sed nota, licet matrimonium inter Levirum & fratrem divinâ lege prohibeatur, eaque non ceremoniali aut judiciali tantum, sed etiam morali, nixaque pudore, ac honestate naturali, ut patet legenti

genti textum *Levit. 18. & 20.* eâ tamen indecentia tanti non erat, ut accedente causâ aliquâ privati, multoq̄ue magis publici ac maximi boni, factâ velut compensatione non aboleretur: & idèd *Levit. 18.* permittitur Marito non quidem vivæ, sed defunctæ Uxoris Sororem ducere; cur ergo pari ratione non posset uxor defuncti Mariti germano nubere? est enim idem affinitatis gradus inter Maritum & Sororem uxoris, qui inter uxorem & fratrem Mariti, eadem naturæ, pudoris, ac honestatis ratio. *Deuter. 25.* permittitur Leviro, ut fratriæ jungatur, quando ex prædefuncto Marito prolem non suscepit, idq̄ue eâ ratione, ut *frater fratris sui semen excitet, illiusq̄ domum & familiam adificet.* Si ergo bonum tam exiguum, tam incertum, mereq̄ue imaginarium, ac in hominum æstimatione brevi lubricaq̄ue fixum, quale est proles non ex te, sed uxore quondam tua suscepta, illius affinitatis verecundiam excusat: quanto magis verum, reale, maximum publicumq̄ue bonum, quale fuit pax & amicitia inter duos potentissimosq̄ue Angliæ & Hispaniæ Reges? In hoc casu nec divina, nec naturalis lex matrimonium vetat, imò concedit ob majoritatem rationis: cùm enim casus particulares sint infirmi, leges autem paucas esse expediat: ex casu unius legis ad casum alterius ob identitatem aut majoritatem rationis procedi posse, definitum est in *L. 12. & seqq. ff. de Legib.* Cur ergo Pontifex dispensavit, si naturalis & divina lex præsentè illâ boni privati aut publici causâ non obligabat?

ꝛ. Non in lege divina aut naturali Papam dispensâsse, sed in humana, quæ eadem Matrimonia vetat, nec permittit quovis privati, aut publici boni obtentu legem infringi: quæ enim aliàs lex tuta, fucatisq̄ue rationibus non exposita? & tunc maxime, ubi tanta opinandi licentia, tantusq̄ue ardor etiam pessima quæq̄; in virtutes fingendi? Dicit etiam potest, Tridentinum vocem dispensationis improprie, & in sensu S. Thomæ accipere pro declaratione tantùm, & interpretatione juris divini.





S. II.

Summum Pontificem suis suorumq; Prædecessorum legibus, quoad vim directivam, obstringi.

S U M M A R I A.

1. *Summos Pontifices suis suorumq; Antecessorum legibus, & Canonibus, quoad vim directivam ligari, probatur ipsorum Pontificum, & S. Thomæ auctoritate.*
2. *Et Rationibus.*
3. *Variè Limitatur.*



I.

Ta ferè omnes cum sacri tum profani Doctores, quorum testimonijs modò abstinemus, cum ipsa SS. Pontificum modestissima professio omni testimonio major sit.

Gelasius PP. in epist. ad Episc. Dardanie: c. confidimus 25. q. 1. Confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusq; Synodò constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quàm primam: qua & unamquamq; Synodum suà auctoritate confirmat, & continuatà moderatione custodit.

S. Zosimus ad Episcopos Ecclesiæ Narbonensis, teste Ivone in epistola ad Hugonem Archiep. Lugdun. in c. contra statuta 25. q. 1. Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.

Gregorius PP. l. 5. epist. 12. in c. justitia 25. q. 1. Justitia, ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat.

Leo Papa IV. in c. idem 25. Permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis canonibus, sive mundani affixere legibus, excedere minimè debeamus: contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si, quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum non consecramus.

Idem B. Gregorius l. 12. epist. 31. ad Felicem Episcop. in c. si ea 25. q. 2. Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed everter esse justè comprobaret, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se ipso divinum non stabit: & omnis scientia, & lex adversum se divisa destruetur.

Idem L. 7. epist. 17. in c. institutionis 25. q. 2. Institutionis nostræ decretis, quæ pro defensorum sunt Privilegijs, & ordinatione disposita, perpetuâ stabilitate, & sine aliqua constituimus refragatione servari: sive quæ scripto decretivimus, sive quæ in nostrâ presentia videntur esse disposita: nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partes ea quâlibet occasione convelli decernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, nisi quæcumq; rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata, rescindere, & exemplo suo docere ceteros, sua quandoq; post se constituta dissolvere.

Idem L. 2. epist. 37. in c. quod verò 25. q. 2. Quod verò dicitis, nostris temporibus debere servari, quæ à meis quoq; prædecessoribus tradita, atq; custodita sunt, absit à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in quâlibet Ecclesia infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

Gelasius PP. in epist. ad Cresconium & Joannem Episcopos in c. Decefforum 25. q. 2. Decefforum statuta, sicut legitima & justa, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.

Pelagius Papa ad Armentarium Magistrum milit. in c. posteaquam 25. q. 2. Posteaquam Ecclesiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittatur habere licentiam.

S. Isidorus l. 1. sententiar. de summo bono c. 53. in c. justum d. 9. Justum est, Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se convenit posse damnare jura, quæ in subjectis constituta sunt. Justa est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.

Leo Papa in c. nos, si incompetenter 2. q. 7. Nos, si incompetenter aliquid & egimus, & subditis iusta legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certe non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) etiam præ ceteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestra magnoperè clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria) diligenter exquirant, & non tantum hæc sola, quæ superius diximus, querimus, ut examissim exagitent, sed sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ab eis indiscussum, vel indefinitum remaneat.

Bonifacius VIII. in c. ult. de Rescript. in 6. Quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.

S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 5. Ad 3. Dicendum, quod Princeps dicitur esse solutus à lege, quantum ad vim coactivam legis: nullus enim propriè cogitur à se ipso: lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur dicitur Princeps esse solutus à lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat: unde super illud Psalmi 50. Tibi soli peccavi, &c. dicit glossa: Quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet: sed quantum ad vim directivam legis, Princeps subditur legi proprià voluntate, secundum quod dicitur extra de constitutionibus, capit. cum omnes: Quod quisq; juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet. Et Sapientis dicit auctoritas: Patere legem, quam ipse tuleris. Improperatur etiam his à Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui alijs onera gravia imponunt, & ipsi nec digito ea volunt movere, ut dicitur Math. 23. Unde quantum ad Dei iudicium, Princeps non est solutus à lege quantum ad vim directivam ejus: sed debet voluntarius non coactus legem implere. Est etiam Princeps supra Legem, in quantum si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco & tempore.

II. Ratio præter jam proximè ex S. Doctore allegatas, est, quia licet par in parem potestatem non habeat, multoquæ minus in se ipsum, ex quo capite S. Thomas 1. 2. q. 93. a. 5. docet, nullum posse sibi legem ponere; cum tamen lex bonum commune spectet, cujus cura maximè ad Papam pertinet: ex altera parte nihil magis hoc ipsum bonum commune legisque observantiam im-

pediat, eamque contemptui exponat, quam si videant subditi contra illam à Papa agi, cujus exempla pro imperio sunt; videtur ex hac ipsa publici boni & legis ratione esse, ut à Papa observetur: quam rationem insinuat Isidorus in *c. justum d. 9.* Tunc enim, inquit, jura sua ab omnibus custodiri existimet, quando & ipse illis reverentiam prabet. Et S. Ambrosius l. 5. epist. 32. ad Valentinianum Imperat. Quod cum prescripsisti alijs, prescripsisti etiam tibi, leges enim Imperator ferit, quas primus ipse custodiat. Et Innocentius III. eleganter in *c. magna 7. de voto*: Præterea non videbatur expedire, cum ex abstulione tua scandalum posset Laicorum mentibus generari, dicentium, ubi est Deus Clericorum? & hoc exemplo credentium, se ad voti observantiam non teneri, quod enim agitur à prelatiis, facile trahitur à subditis in exemplum: juxta quod Dominus inquit ad Moysen in Levitico: Si Sacerdos, qui est unctus, peccaverit, faciet delinquere populum. Plin. in pan. Vita Principis perpetua censura est, ad hanc dirigimur, nec tam nobis imperio, quam exemplo opus est. Patricul. l. 1. Princeps imperio Magnus, exemplo maximus est. Pacatus in Theodos. Exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.

Non obstat: Istud periculum, & nativam indecentiam, publicamque offensionem abesse, si Princeps occultè, aut aliquoties tantum in legem agat.

R. Lege semel fixâ, positâque certæ virtuti materiâ gravi (sicut v. g. lex jejunijs ponit materiâ gravem temperantiæ) omnes pro gravitate materiæ obligari, quotquot obligari possunt ac debent; posse autem & debere Papam obligari jam dixi. Quamvis verò actus occultus aut rarus non valde offendat subditos, graviter tamen offendit legem in materia gravi, pro quolibet actu graviter obligantem: alioquin sequeretur, nec subditum peccare; quia semel contra legem agendo, v. g. missam die Dominicâ non audiendo, parùm bono publico & Religioni, qui sunt hujus præcepti fines, nocet; cum possit alijs operibus pijs bonisque operam dare. Et datâ licentiâ semel aut iterum legis negligentiæ, limes certus aut numerus definiri non poterit, ut ultrâ non liceat: quamvis ergo una transgressio non multum noceat, plurimum nocet periculum, & quæ ex illo consequuntur.

Amplianda est Conclusio, ut Papa maximè Contractibus patrisque ligetur, quorum obligatio naturalis est *L. 1. ff. de pact. Gail. l. 2. obser. 55. n. 76*


III. *Limitatur* 1. Ut leges, quæ Papam dedecent, eum obligare non possint, cessante primâ legis conditione, quæ est, ut sit justa honestaq;ue. Exemplum in l. sancimus C. de donat.

Limitatur 2. Ut Papa non teneatur suis legibus vi coactivâ. S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. qui nec ab alio cogi possit, cum non habeat superiorem, & si habet, non jam suâ, sed alienâ lege cogetur: nec à se ipso, cum nemo seipsum cogat invitum: nam si vult, non cogitur. Deinde indignum esset, adversumque Papæ majestati, parem cum subditis pœnam subire.

Limitatur 3. Ex aliquorum sententia absente scandalo hanc obligationem esse levem & venialem. Palao de Legib. q. 24. §. 1. Less. de F. & F. l. 2. c. 35. dub. 5. Azor. 1. p. l. 5. c. 11. q. 1. sed jam suprâ contrarium docuimus.

Limitatur 4. Ut sicut Papa ex causa justa & rationabili alios Privilegio, aut dispensatione eximere potest, ita & se ipsum: cur enim pejoris ipse conditionis quàm alij? lex enim ex voluntate Papæ obligat: si voluerit Titium lege complecti, non Cajum, hic liber erit, ligatus ille: sicut ergo Cajum, ita se ipsum potuit lege excludere. De dispensatione docet S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a. 5. quasiunculâ 5. ad 3. & latè Sanch. de Matr. l. 8. d. 3. quod enim jurisdictionem voluntariam possit quis in se ipsum exercere, sunt textus in L. si consul ff. de adopt. & L. un. ff. de off. Consul. V. Abb. c. ex litteris n. 11. de probat. & c. fin. de instit. n. 5. Et ratio est, tum quia si Papa suis se legibus obligare potest, ergo & solvere: potestas enim legislativa ad utrumque est: tum etiam quia, ut diximus, in jurisdictione voluntaria, ubi nullius damnum agitur, potest ex legum permissione duas quis distinctasque personas agere, agentis & patientis; modò ex specialibus rationibus jure quis non prohibeatur, ut se ipsum præsentare c. per nostras, de jure patronat. Tutor in rem propriam auctoritatem præstare L. 1. ff. de auctor. & consens. Tut. Capitulum sibi Ecclesias unire Clement. 2. de reb. Eccl. non alien. Sibi Beneficium conferre c. fin. de instit. & c.





§. III.

*Posse summum Pontificem ex justis causis in
omni Lege Canonica dispensare.*

S U M M A R I A.

1. *Quanti dispensationes Pontificias omnes etiam Galli faciant.*
2. *Potestatem in lege Canonica dispensandi ipsi Canones Papa concedunt.*
3. *Testimonia S. Thomæ, S. Bernardi, S. Antonini.*
4. *Praxis Ecclesie Antiqua.*
5. *Et Rationes.*



I.

Cum agere videamur, si rem omnium temporum usui, omnium Patrum testimonijs, eorumque etiam exemplis, qui hoc ipsum negare audent, certam probatamque nos probare aggrediamur. An istud facem in meridie accendere non est, aut Lectorum non abuti patientiâ, dum cantilenam tam notam vulgatamque illis præcinimus? Qui verò locus aut terra est tam canonum legumque observans, quæ non multis privilegijs, ac libertatibus à sede Apostolica, contra Canonum legumque severitatem muniatur? Sacerdotia Regum arbitrio permixta: multa ac opulenta Beneficia in unum collata: Ordo Ecclesiasticus toties non Principum tantum obsequijs, sed imperijs, legibus, foro subjectus: Ejusdem ordinis Ecclesiastici bona ac facultates, tributis, collectis, stipendijs exposita: Monasteria in commendas, ut vocant, data: an hæc, multaque alia Canonibus non utcumque, sed enixissimè vetita, ac gravissimis poenis sancita? Et tamen in Gallijs, nullo sacros Canones offendendi metu

metu hæc omnia peraguntur, quòd privilegijs se tutos arbitrentur, & pro his ipsis privilegijs, & pro hac ipsa contra sacros Canones vivendi libertate, velut pro aris focusque pugnatur: non ergo, ut credimus, hæc Canonicam severitatem molliendi potestas tam illis invisa est, quam tam laxo sinu admittunt, & admittunt tam in amoribus habent, ut nil minùs, quàm eam vel levissimè offendi patiantur. Imò si Pallavicino Cardinali, in Historia Concilij Tridentini, fides habenda est: (& verò habuit quàm maximam Maymburgus, qui in historia Lutheranismi hujus testimonijs unice gaudet) potissima causa Concilij in Gallias non admitti, ea fuit, quòd timerent eo semel recepto, antiquos juxta Canones, eorumque observantiam, quæ à Concilio imperabatur, recipi oportere, aboleris libertatibus, ac privilegijs, quæ adversùs Canonum antiquam disciplinam illi Regno Pontifices dederant. Res sic habuit. Henricus Magnus & promiserat, & juraverat Concilium recipere. Eo interfecto Medicæa Regina nunquam, ut illud in Regnum admitteret, pervinci potuit, varijsque artibus urgentem Pontificem ludificata est.

Primò: *Ignota sibi decreta Tridentini; tempore aliquo ijs pervidendis opus esse.* Deinde: *Tridentinum necdum à Papa confirmatum; expectandam ergo confirmationem.* Postea: *Regem Hispania recipiendo Concilio adhuc cunctari; cur ergo Galli properarent?* Deinde: *A Pio Pontifice primum Gallico Oratori locum, primasque sedes ante Hispanum negari, qua tamen antiquissima Possessionis jure debebantur, cur ergo gratificaretur Pontifici Gallia, cum ab illo ladebatur?* Tandem: *Hæreticos Hugonotos Concilio obniti, eorum promulgato, graviter offensum iri, Regno in periculum & discordias adducto.* Hactenus Gallorum exceptiones: celsârunt hæc omnia. Concilium Hispania recepit, Papa confirmavit, tempus deliberandi fluxit, loci prærogativa Gallis concessa, Hugonotti excisi, nec ullus ab ijs metus, & tamen Concilium exulat, quæ causa? Cardinalis Ossatus Regis Christianissimi Orator in suis Epistolis Gallicè editis, & Pallavicinus l. 24. *Histor. Trid. c. 10. & 11.* has dicunt renuendi Concilij veras causas esse.

Quòd Concilium pluralitatem Beneficiorum, & Commendas severè prohibeat, multaque statuatur pro immunitate Ecclesiastica, quibus Libertatem Ecclesiæ Gallicana, ejusque privilegia offensum iri Galli formident. Galli ergo plùs privilegijs indulgentiâ Pontificis Romani obtentis, quàm Canonibus

nibus delectati, eâdem constantiâ, quâ Concilium petierant petitum postea repulere; adeo sibi à Patrum disciplina timebant, quam nunc Pontifici objectant, ejusque dispensationibus impenetrabilem, inaccessam volunt, ut mirari planè subeat, quæ causa sit canones tam subito dulces, melleosque Gallis evasisse, à quibus non multis retrò annis tantùm abhorrebant. Enimverò Pontifices hâc adversum canones dispensandi potestate haud ægrè cessuros credimus, si tam facilè Galli privilegij cedant, quæ à summis Pontificibus contra canones acceperunt. Quamquam nec contra canones factum est, quod isti semper concesserunt, ut jam videbimus.

II. Leo Papa epist. 85. c. 1. ad Episc. Africa in c. exigunt. 1. q. 7. Exigunt causæ, ut non solum in tales Præsules, sed etiam in ordinatorum eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementia, hinc censura justitia, ut credamus delicta quædam utcumq; toleranda; quædam vero penitus amputanda. Illos ergo, quorum proventio hoc tantùm reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, locum suum tenere permittimus; non præjudicantes Apostolica sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas solventes: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impunè committi: ne quod ad tempus piâ lenitate concessimus, justâ posthac ultione plectamur.

Innocentius III. ad Archidiaconum Bituricentem in Gallia in c. litteras 13. de Restitut. spoliat. In gradibus consanguinitatis divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humanâ restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis possit dispensari, sicut B. Gregorius & multi alij dispensârunt.

Idem Innocentius III. epist. ad Præpositum, & Capitulum Cameracense in c. proposuit 4. de conc. præb. Licet autem intentionis nostra non sit, investituræ de vacaturis factas contra canonum instituta ratas habere, qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare, &c.

Idem in epistola ad Archiepisc. Cantuariensem in c. innotuit 20. de elect. Quamvis autem Canon Lateranensis Concilij ab Alexandro Prædecessore nostro editus non legitimè genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit esse nullam: nobis tamen per eam adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, immo eâdem functuris potestate.

Idem Decano & Capitulo Andegavensi in Gallia in c. inter 2. de

de transl. Episc. Nos intuentes, qui licet sibi munus consecrationis impensum, nec prioris Ecclesia ipsum Pontificem fecerit, nec secunda: cum ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonice consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus, ei tam à vinculo prioris Ecclesia, quam à pena suspensionis penitus absoluto, de benignitate sedis Apostolica duximus concedendum, ut priori consensu hactenus perdurante Andegaven. Ecclesiam studeat gubernare. Honorius III. ad Episcopum Ventensem in c. ex parte 3. de Capell. Monach. Cum autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis: fraternitati tua breviter respondemus, quod hujusmodi litteras ab Apostolica sede non credimus emanasse. Quodsi per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto. Potest ergo summus Pontifex Concilio generali derogare, si in clausula derogativa hujus faciat expressam mentionem. Quod etiam in loco mox citando habetur.

Item Innocentius III. in Concilio Lateranensi in c. nonnulli 28. de Rescript. Cum autem per judicium injurijs aditus patere non debeat, (quas observantia interdicti) statuimus, ne quis ultra duas diatas extra suam diocesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Nisi de assensu partium fuerint impetrata, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

Gratianus post c. ideò 25. q. 1. §. his ita: Sacrosancta Romana Ecclesia jus & auctoritatem sacris canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim condendi canones potestatem, utpote qua caput est, & cardo omnium Ecclesiarum, à cujus regula nemini dissentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem prestat, ut seipsam non subjiciat eis.

Hadrianus II. Papa in epistola ad Basiliun Imperatorem, quæ in 8. Synodo Act. 1. recitata est, & à Patribus probata. Verum quia pietas tua cum Ecclesiastica misericordia nos circa illos ad id, quod humanius est, exhortatur: nolumus ignorare, quoniam ultra quam dici possit, hinc fatetor, merore comprimimur, immensoq; dolore constringimur, eos nimirum non solum beata memoria decessoris mei Papa Nicolai, quibus & ipse subscripsi, justis sanctionibus creberrime percellentibus, verum etiam sanctorum Patrum regulis severissimè, seu quodammodo peremptoriè punientibus. Verumtamen propter pacem facilius obtinendam, propter qua tantam multitudinem, si tamen respuerint, misericorditer liberandam (ut cum sancto Gelasio Papa dicamus) necessarià rerum dispensatione constringimur, & Apostolica sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retrò

praesulum decessorumq³, nostrorum praecepta metiri, ut qua praesentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus: quod & nos aqua possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo penitus imitari: Photij duntaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interrim prorsus excipientes, eamq³, passim, & prae ter examen nullatenus admit-
tentes.

III. S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. Dispensatio proprie importat commensurationem alicujus communis ad singula; unde etiam gubernator familia dicitur dispensator, in quantum unicuiq³, de familia cum pondere & mensura distribuit, & operationes & necessaria vita. Sic igitur & in quacunq³, multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune praeceptum sit à singulis adimplendum. Contingit autem quandoq³, quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic persona, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum, sicut ex supra dictis patet. Periculosum autem esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur: nisi forte propter evidens & subitum periculum: ut supra dictum est: & idem ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, qua sua auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut praeceptum legis non servetur. Si autem absq³ hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret: propter quod dicit Dominus Luca 12. Quis putas fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?

Idem in quodlibeto 4. q. 8. a. 3. Non est dubitandum, quod Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quacunq³, sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesia Pralatos, sint dispensabilia ab ipso. Eadem habet S. Doctor in Tractatu contra impugnantes Religionem.

S. Bernardus l. 3. de considerat. c. 4. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus. Bonane species hac? mirum est, si excusari queat vel opus. Sic factitando vos probatis habere plenitudinem potestatis, non iidem plenitudinem justitiae. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis, quaestio est & quomodo? non indecens tibi voluntate pro lege uti? & quia non habes, ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? &c.

Idem

Idem S. Bernardus epist. 131. ita Mediolanenses alloquitur: Nunc verò audi me inclita plebs, gens nobilis, civitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, Zelatorem salutis tuae. Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Fidele Consilium, & omni acceptione dignum. Noli abuti clementiâ, ne potentiâ opprimaris. Sed dicit aliquis: debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius. Esto. Fac quod dicis: quia si exhibeas debitam & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari prerogativâ Apostolica sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dicaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat: & e converso, si necesse visum fuerit. Potest à finibus terra sublimes quascumq; personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam praesentiam non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.

Idem L. 2. de consider. c. 8. Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiae, unâ contentus est Hierosolymâ, Petro universitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille. Nam dictus est frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prerogativa? Ergo juxta canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo caelum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanae potes? Stat ergo inconvulsam privilegium tuum, tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.

S. Antoninus in Summa Tit. 23. c. 2. §. 6. Quòd Concilia generalia non possunt praesigere legem Papae, notat Abbas de Sicilia super c. significasti. de elect. Quòd Concilia generalia non possunt statuendo praesigere legem Papae, immo in omnibus statutis Concilij intelligitur tacitè excepta auctoritas Papae, & textus hujus decretalis significasti, frequenter allegatur, praesertim in materia, ubi disputatur de potestate Concilij & Papae. Et vide de hoc bonum textum g. q. 3. ubi dicitur: Nemo judicabit, vel judicare potest primam sedem, scilicet Papam: nec Augustus, nec Populus, nec Clerus. Et c. aliorum & multa alia cap. ibi posita, ad idem faciunt. Et per istum textum arguit Johann. Quòd sententia Papae est standum, quando praedecedit sententia totius Concilij: & remittit ad notata in c. in istis. dist. 4. & c. sicut dist. 14. Infert etiam Joann. Quòd per istum textum solum Papa potest interpretari statuta Concilij:

cilij: nec mirum, cum secundum eum possit & tollere & limitare: ut c. statutum. de rescript. lib. 6. Vide bonam gloss. in c. ubi periculum. de elect. lib. 6. qua dicit, quod licet non sit licitum, quod Papa revocet statuta Concilij sine ipsius Concilij consilio: potest tamen si vult. Pro quo facit textus hic & ibi: sed textus iste, & omnia prædicta debent limitari, & restringi ad ea, qua dependent à plena dispositione Papa: nam in his, qua sunt Juris positivi, indubitanter est Papa supra Concilium: quia ipse est caput Ecclesia. Unde licet potestas sit data Papa & toti Ecclesia: Papa tamen tributa est tanquam capiti: unde debet corpus moveri à dispositione capitis.

IV. Huic sacrorum Canonum Patrumque doctrinæ continuâ Ecclesiæ praxis, & exempla adstipulantur: recentibus quidem pleni sunt libri, hominumque memoria: ex antiquis aliqua proferemus.

Anno CDXXXIV. Cælestinus Papa contra canones Nicæni Concilij 15. & 16. (qui habentur causâ 7. q. 1.) petente Theodosio Imperatore Proclum Episcopum Cyzicenum transfert ad sedem Constantinopolitanam, Socr. l. 7. c. 39. Baronius ad hunc annum num. 11.

Anno CDLXXIX. Simplicius Papa permittit contra canones Nicæni Concilij Stephanum Episcopum Antiochenum, non Antiochiæ, sed Constantinopoli eligi, idque turbas, cædesque, quæ ab Eutylianis imminabant, vitandi causâ; acceptâ prius cautione, hanc concessionem privilegij Ecclesiæ Antiochenæ innoxiam fore, nec in jus & exemplum ab Archiepiscopis Constantinopolitanis, (nam conabantur) deductum iri. V. epist. Simplicij Pontif. 13. ad Zenonem Augustum & Acacium Patriarcham, quæ est 15. easque recitat Baronius.

Anno DCCCLXXI. Ignatius Patriarcha missis Romam legatis ab Hadriano II. dispensari petit, laxarique octavæ Synodi Decreta, quibus à sacris dignitatibus prohibebantur, quos Photius promovisset, qui que ausi essent sententiæ in Nicolaum Pontificem dictæ subscribere. Verba supplicantium sunt.

Deinde quod super Theodoro, qui à nobis quidem consecratus est Metropolitâ Carie: multum enim laboravit, & afflictus est ab initio injuste & ini-
que dejectionis nostræ: in novissimis vero cum misero Photio conveniens pro-
pter ejus immensa tormenta, quæ sibi resistentibus inferebat, consensit & usque
ad ultimum ipsius diem, repenitens nihilominus rursus corde contito & spi-
ritu

ritu humilitatis veniam expetivit: prohibuerunt eum Sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi Vicarij almitatis vestrae, eod quodd subscripserit, ut fatebatur, in eam, qua facta est ab infelicissimo Photio quasi depositio beatissimi & optimi Patris nostri Nicolai decessoris sanctitatis tua. Hac sunt de quibus rogamus sanctitatem vestram, ut si possibile sit, utatur verbo dispensationis & misericordiae in his, cum alia omnia optimum & commodum finem ac dispositionem susceperint. Habetur integra epistola post acta 8. Synodi. Negavit Hadrianus tam graves sibi causas videri, ob quas à Patribus octavae Synodi statuta rescindi oporteret. Reperita igitur anno DCCCLXXXVI. à Stiliano Metropolita Neocæsareæ ad Stephanum Papam preces, quarum hæc summa fuit: Quoniam verò simus, quod à vestra Apostolica sede corrigi, & juxta Canones corrigi debemus: hac de causa humilibus his nostris literis tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sine rationabili causa Photij ordinationem recepit, ut ne qui Apostolica sedis Legatos Rodoaldum & Zahariam, qui initio Photium confirmarunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium & Paulum, qui secundà vice cum Photio communicarunt, exceperit, unà cum Photio interitu damnetur, ne alius infinitus numerus ab Ecclesia pellatur: hoc enim facere consuevit Ecclesia. Oecumenica enim Synodus Quarta Dioscorum iniquitatis Principem, & auctorem, Flaviani interfectorem, beati videlicet Patriarchæ Constantinopolitani, damnavit, & homicidam & hæreticum, ut qui ausus est sanctissimo Papa Leoni excommunicationem irrogare: eos verò qui à Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cum tamen pietatis sectatores fuissent, per poenitentiam illos suscepit. Nicæna etiam septima Synodus auctores hæresis Ionomachorum damnavit, illorum verò sequaces per poenitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tanquam ab initio schismaticum, & à schismaticis illegitimè ordinatum, & propter alia multa, qua operatus est mala, expellere: eos verò qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut Ecclesia Constantinopolitana pax & tranquillitas ita restituantur, & non alij quidem Apollo, alij Cephæ sint, & alij Pauli, & sic unum Corpus Ecclesiæ dividatur, sed omnes unanimes, tanquam unum caput habentes, Christum Deum & Salvatorem omnium nostrum, omnes communiter illi laudes offeramus, & ejus præcepta similiter prædicemus. Neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Sed morante adhuc Stephano, & postea morte sublato, tandem à Formoso Pontifice Orientali Ecclesiæ, qua preces in communem causam so-

ciaverat, facta est gratia; verba Pontificis ad Stilianum hæc sunt: Oportebat istam Ecclesiam, in qua talia deprehenduntur facta, gravissimas dare penas, ut hujusmodi penis vestra Ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas, & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet, ut alia quidem toleremus, alia verò omnino è medio tollamus. Quapropter misimus è latere nostro Religiosissimos Episcopos Landenulphum Capuanum & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur convenire, nec non Theophylactum Metropolitanum Ancyra, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Phoitiu prævaricatorem, & legum eversores sententia à Prædecessoribus Oecumenicis Pontificibus ante omnia synodicè prolata, nec non à nostra humilitate confirmata perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum ijs verò, qui à Photio fuerunt ordinati, misericorditer nos gerentes, decernimus, ut oblati libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentiâ veniam deprecantur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris litteris mandata conspiciuntur, unâ cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec aliquid addendo, nec deminuendo aut commutando. Ita enim & à nobis, & à reverentia tua in communionem fidelium receptis in laicis, scandalum delebitur.

S. Martinus Papa contra canonem Apostolicum in casu necessitatis bigamum ad minores, imò etiam Subdiaconatum admittit in c. Lector. d. 34. Nec obstat c. nuper de bigamis, quo non absolute potestas in bigamia dispensandi negatur, sed tantùm eam facile non concedi innuitur.

S. Gregorius M. circa annum DCI. contra antiquos canones ac etiam Concilij Lugdunensis, qui usque ad septimum Con sanguinitatis gradum matrimonia vetabant, cum Anglis dispensat, ut habetur in c. quadam Lex 35. q. 3.

V. Patet ergo ex hæcenus citatis canonibus, usuque Ecclesie perpetuo, semper hanc dispensandi facultatem penes Romanum Pontificem fuisse, eamque qui neget, aut nimiam præsentiam, perinde ac si credere tu possis, aut alteri persuasum velis, lucem in meridie, in mari aquam non esse: Imò si canones, si experientia cessent, an non hoc ipsum ratio ipsa convincit? Leges enim locis, hominibus, temporibus aptantur, quæ sicut variant, ita legem variari aut flecti oportet: ridiculus sit nauta, qui aliter ventis spirantibus, non ipse vicissim aliter velum inflectat; quando ad portum venturus, si
auris,

auris, undæque non pareat? Lex quæ multis profuit, non paucis nocuerit: quæ centum retrò annis severitate animos continuit, eadem severitate incitabit, legumque contemptum inducet, nisi molliantur: alij sunt præpotentes, qui leges non ferunt; laxandæ ergo sunt, minori que malo, majus avertendum: alij sunt, quorum imbecillitas legibus opprimitur potiùs quàm juvatur; ergo mitigandæ sunt leges, nec onus addendum jam cadentibus: alij quos legum observantia, matrimonijs, pace, religione, fæderibus arcet, quæ sit crudelitas & illòs tam multis malis, & Republicam aliquã indulgentiã non eximere? Omnium pedibus eundem calcem, omnium moribus idem pharmacum aptabis, idem que ut dici solet, omnium oculis collyrium? ergo tam Republicæ aliqua necessaria est dispensatio, quàm animo aliqua quies, corpori aliqua à laboribus feriatio. Cui ergo dispensatio committetur? Omnibus? nullæ leges erunt, aut nullæ legum observatio. Nulli? hoc humanæ conditioni, totque necessitatibus plùs quàm durum, nihil sperare posse. Concilio? Serum rarumque remedium, morbo in dies medicinam postulante, & plerumque nec communi pastori? meliùs potiùsque quàm Vicario Christi? Aut ergo nulla dispensatio admittenda est; quod plùs quàm inhumanum: aut aliqua concedenda, & nulli magis honestiusque quàm Romano Pontifici; nam si hunc excludas, multo magis alios excludes, minori potestate, minori gratiã, Dei que Spiritu minùs instructos.



§. IV.

*Non posse tamen summum Pontificem aut in
omni lege Canonica, aut sine causa dispen-
sare, & quenam sint legitimæ causæ?*

S U M M A R I A.

1. *Non potest Papa in omni lege Canonica dispensare.*
2. *Nec sine causa.*
3. *Dispensatio in lege divina & naturali sine causa est irrita, & sola dissimulatio Principis non inducit dispensationem.*
4. *Quæ sint causæ dispensandi, quas pro legitimis sacri Canonis admittunt?*



I.
Eleganter Papinianus monuit in lib. 15. ff. de conditionibus institut. Quæ facta ladunt pietatem, existimationem, reverentiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum esse. Quod etiam habetur l. 29. ff. de jure dotium. Non ergo ij nos sumus, qui minorem honesti curam, sensumque quàm Ethnicus ille habeamus; & Pontificis Max. auctoritatem, quæ muniendæ rationi, proferendæque virtuti à Deo constituta est, contra rationem, contraque virtutem amare velimus: potest Papa quod licet, quod decet; quæ nec decent, nec licent, non potest; & sicut nullâ potestate, nulloque privilegio fieri potest, ut Papa non sit animal rationale, ita nullâ ratione fieri potest, ut non debeat ratione uti, & contra rationem facta damnare.

Non ergo potest in ijs Papa dispensare, quæ velut fundamenta nervique sunt Ecclesiasticæ disciplinæ: & quibus indulgentiâ

Non posse tamen summum Pontificem aut in omni lege &c. 761
tiâ sublatis, necesse est Ecclesiam velut decolorari, ut sancti Pa-
tres loquuntur.

S. Leo Papa epistolâ ad Rusticum Narbon. Episc. in c. 2. d.
14. Sicut quedam sunt, inquit, quæ nullâ possunt ratione convelli; ita multa sunt,
quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione aetatum oporteat tempe-
rari: illa consideratio semper servata, ut in ijs, quæ vel dubia fuerunt, aut ob-
scura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium,
nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.

Gelasius Papa epist. ad Episc. per Lucaniam constitutos in c.
& si illa 1. q. 7. Et si illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si ceterorum conslet
integritas, nocere sola non valeant: illa tamen sunt magnoperè præcavenda,
quæ recipi, nisi manifestâ decoloratione non possunt. Ac, si ea ipsa, quæ nullo
detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumq; cogit in-
tutus, vel acceleratæ provisionis respectus excusat; quanto magis illa nullatenus
mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet uti-
litat?

II. Sic etiam non potest Papa absque legitima honestaque
causa in lege Canonica dispensare, esset enim hujusmodi dispen-
satio imprudens, noxia, disciplinæ adversa, repugnansque, & ob-
ligationi, quâ tenentur Pontifices proprias ac antecessorum leges
observare, & officio Papæ, cujus est canones custodire, non vio-
landos exponere, & etiam juramento, quo se, cum Pontificatum
ingreditur, obstringit. Audiamus ipsorum Pontificum, Patrum-
que testimonia.

Clerus Romanus in epist. ad S. Cyprianum Episcopum in c.
absit d. 50. Absit à Romana Ecclesiâ vigorem suum tam profanâ facilitate dimit-
tere, & nervos severitatis eversa fidei Majestate dissolvere, ut cum adhuc non
tantum jaceant, sed & cadant everforum fratrum ruina, properata nimis re-
media communicationum utique non profutura præsentur, & nova per mise-
ricordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut
miseris ad everfionem majorem eripiatur & poenitentia. Ubi enim poterit in-
dulgentiæ medicina proficere, si etiam ipse medicus interceptâ poenitentiam indul-
get periculis? si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis reme-
dia conducere cicatricem? Hoc non est curare; sed, si dicere verum volumus,
occidere.

S. Damasus Papa epist. ad Aurel. Carthagin. Episc. quæ habetur
præfixa Tomo 1. Concilior. Violatores voluntarij Canonum graviter à sanctis

D d d d

Patri-

Patribus judicantur, & à Spiritu sancto (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur: quemadmodum blasphemare spiritum s. non incongruè videmur, qui contra eosdem sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium spiritum sanctum, quemadmodum (ut jam prælibatum est) contra eum agit, cujus impulsu & gratiâ idem sancti editi sunt Canones. Diabolica verò nequitia pleròq; subtiliter fallere solet, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissimè illudit, ut pro salutaribus noctura persuadeat. Idcirco norma sanctorum Canonum, qui sunt spiritus Dei conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tractanda; ne quovis modo sanctorum Patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur: sed fidelissimè per ea gradientes, cum eis, qui eos instinctu divino condiderunt, mercedis gloriam & laetæ botis cumulum, eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur.

Hadrianus II. Papa epist. ad Basilium Macedonem Imperat. Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum Ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam Apostolica sedis decreta proferunt, cum vel alios ledere, vel se juvare concupiscunt. Et hac tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro alijs proponerentur, si nostra, more priorum, æquitas in vestra Urbis Prasules majorum regulis obviantes commoveri severius voluisset. Quamvis multâ instantiâ & certamen viri prudentissimi & religiosissimi Egumeni, ac vasorum sacrorum custodis Theognosti, qui de pietatis vestra virtutibus, & probabilium morum insignibus, & trophaorum triumphis, atq; beneficiorum vestrorum piè sibi præstatorum multitudine nos plurimum relatione suâ laudicavit, & qualiter diebus vestris, superno brachio atque studio & solertiâ vestra Christianitas prosperetur, enarrans multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, & gratias alacriores exhibuit, ad postulata divitiis muniendo Imperio vestro concedenda nos supra modum efflagitaverit, & ultra quàm dici possit, solito & prisco more, ac pro Ecclesiasticis utilitatibus frequenter impenso, crebris suggestionibus instigavit: super quibus tamen propter jam designatam causam nec annuere possumus, nec quidquam præter quod jam Evangelizatum est, ullo modo desinire.

Concilium Tridentin. Sess. 25. de Reform. c. 18. Sicut publicè expedit, legis vincula quandoq; relaxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exem-

ploq;

plōq; potius, quàm certo personarum, rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant unversi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens, iustaq; ratio, & major quandoq; utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atq; gratis, quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum; aliterq; facta dispensatio surreptitia censetur.

Baronius ad annum DCCCLXIX. recitat juramentum, quo summi Pontifices, antequam inaugurarentur, se obstringebant, ubi inter alia: Diligentius autem & vivacius, quamdiu vixero, omnia decreta Canonica praedecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quaecumque ipsi synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire: quaq; vel quoscumque condemnaverunt vel abdicaverunt, simili sententiâ condemnare, vel abdicare. Disciplinam & ritum Ecclesia, sicut invenimus à Sanctis praedecessoribus meis canonicè traditum, quamdiu vita in istis comes fuerit; illibata custodire, & indiminutas res Ecclesia conservare, neq; alienare, seu in feudum, censum, vel emphyteusim dare quomodolibet ex quacumque causa; & ut indiminutè custodiantur, operam dare. Nihil de traditione, quam à probatissimis praedecessoribus meis canonicè traditam & servatam reperi, diminuire vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer, ut eorum verè discipulus, & sequipeda totis mentis meae conatibus, qua tradita canonicè comperio, & servare & venerari.

S. Bernardus l. 3. de Considerat. c. 4. Spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine dijudicetur: omne opus suum trinâ quadam consideratione praeveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. Nam etsi constet in Christiana utiq; Philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet: non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est, ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tunc major Domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam? Quanquam non minùs defecti quàm elati animi est, veluti rationis expertem non pro ratione, sed pro libitu agere, nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? & si indignum cuivis utenti ratione, vivere ut pecus? Quis in te rectore omnium tantam contumeliam natura, honoris injuriam ferat? Sic degenerando

Dddd 2 (quod

(quod absit) generale opprobrium fecisti proprium tibi: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus; & similis factus est illis.

S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 4. Si autem rector universitatis absq; ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens, si rationem dispensandi ignoret, propter quod dicit Dominus Luca 12. Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?

III. Imò si agamus de jure divino aut naturali, v. g. in votis & juramentis, dispensatio absq; causa legitima non tantùm illicita est, sed omnino invalida, (a) nec in foro externo, cum in jure divino aut naturali, præsertim ad petitionem partis dispensatur, præsumitur justa causa, nisi probeatur, cum sæpissimè aut importunitate aut mendacijs Principes victi concedant, quæ non oportet c. ult. de Rescript. in 6. & c. 6. extra eod. & l. 1. c. de petito. bonorum sublat. V. Sanchez cit. n. 14. multo minùs solâ impunitate ac dissimulatione Principis inducitur dispensatio per textum & DD. in c. cum jam dudum de præbend. & c. 3. de cognat. spiriuali, & docet Sanchez L. 2. de matrim. d. 38. n. 12. ubi respondet ad celebre c. quia circa de consang. & affinit. & l. 8. d. 5. n. 25. Abb. in c. veniens de fil. Presbyt. num. 7. Menoch. de præsumpt. l. 2. 20. n. 32. Et ratio est, quia dissimulatio ad permissionem potius pertinet, quæ non excusat, quàm ad dispensationem: hæc enim cum sit gratia & beneficium, ac legitimâ causâ nitatur, non est ut eam superiores dissimulent tegantq;ue.

IV. Ceterùm variæ sunt causæ dispensandi, & quas pro legitimis Canones admittunt. Prima ac præcipuæ, & ad quas omnes ferè reducuntur, sunt necessitas & utilitas c. est illa 1. q. 7. c. 2. de transl. Episcoporum. S. Bernard. l. 3. de considerat. c. 4. circa finem. Secunda: Mutatio temporum & personarum c. 1. & 3. d. 29. c. non debet de consanguinit. Tertia: Virtus eminens & habilitas supplicantis c. 13. & 14. d. 56. c. tali 1. q. 7. Quarta: Periculum dissensionum & publici damni c. 25. d. 50. c. dispensationes 1. q. 7. Quinta: Scandalum pusillorum, eosq;ue lucrandi spes. c. quadam 35. q. 3. Sexta: Simplicitas delinquentis c. tanta 1. q. 7. Septima: Multitudo delinquentium c. quoties 1. q. 7. Octava: Temporum hominumq;ue malignitas duriora aspernantium c. quoniam 1. q. 7. & c.

(a) S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. & Glossa ab omnibus recepta in c. non est. de vot. Sanchez lib. 8. de matrim. d. 17. n. 3.



§. V. & Ultimus.

*Propositiones Conventus Parisiensis à Clero Gallicano revocate, & certamen cum Gal-
lis finitum.*

S U M M A R I A.

1. *Mors Innocentij XI. & Alexandri VIII. electio, curaq; cum Gallo transigendi. Promotio ad purpuram Belluacensis Episcopi à multis & impugnata & defensa, & quas ob causas?*
2. *Mors Alexandri, & ejus jam expirantis in Gallos Diploma.*
3. *Innocentij XII. Pontificis Maximi pro pace conatus, & quo sine, quibusq; conditionibus cum Episcopis & Rege compositum.*
4. *Innocentij XII. ad Sacrum Collegium Oratio. Episcoporum, Regisq; ad Pontificem littera, quibus & Propositiones Parisienses revocantur, & Regij Edicti cessatio promittitur.*
5. *Quid boni ex Gallorum Retractatione Veritatis accesserit?*



I.
Actenus quidem & originem belli, quo Romani Pontificis auctoritas à Gallis oppugnata, & rationes, quibus defensa est, exposuimus, superest, ut victoriam quoque prosequamur; sic enim magis magisque patebit, hoc semper privilegium veritatis fuisse, ut vinci non possit, nec aliud certando effectum, quàm ut nunquam materia triumphi deesset.

Mortuo Innocentio XI. Cœlum prodigijs parentavit, quibus contra multorum criminationes ejus & innocentiam, & constantiam, suo quoque calculo visus est Deus comprobâsse. Successit Alexander VIII. Is, cum ut fieri amat, plura sibi promitteret, quam ab Antecessore præstita essent, speraretque; vinci industriâ suâ posse, quæ paci cum Gallis obstabant; nihil non egit, ut Christianissimi Regis animum expugnaret; sic enim conflictu inter Romanam Sedem, Gallosque sublato, sperabat, aliud quoque & funestissimum in Europa bellum confectum iri, Mediatoris partibus ad Pontificem delatis. Ergo ut dixi; nihil non actum, ut cum Gallo amicitia jungeretur; idque tam impenso, enixoque studio, ut Alexander non paucis Principum suspectus redderetur. Quæ præsertim suspicio crevit, Janfonio Episcopo Belluacensi ad Purpuram evecto. Id ut fieret, flagrantissimè Gallus petebat. Sed multa Belluacensi opponebantur. Cùm enim Anno 1688. die trigesima septembris Episcopi Galli, qui Parisijs morabantur; jussu Regis in ædes Archiepiscopales convenissent, & Instrumentum appellationis ad futurum Concilium, magno plausu, multisque in Regem laudibus profecuti essent; sicque tacito saltem consensu appellationem approbâssent, & ideo censuras à Calixto III. Pio II. Julioque II. Romanis Pontificibus incidisse viderentur: inter illos verò, qui Cætui Episcoporum assederant, qui que lectæ à Procuratore Regio appellationi applauserant, Belluacensis quoque interfuisset, ejusque nomen & subscriptio processui verbali appensa esset; à multis Romæ credebatur, non potuisse purpurâ donari, nisi exemplo Pij II. priùs delicti pœnituisset, tacitamque appellationis approbationem revocâssent. At Galli respondebant: à Regio Procuratore Instrumentum quidem appellationis Episcopis prælectum, sed non ideo approbatum esse. Tria enim post lectam appellationem ab Episcopis præstita.

Primò rogasse Archiepiscopum, ut eorum nomine gratias Regi ageret, quòd dignatus esset, Gallia Antistes, eorum, qua tunc temporis occurrebant, monere.

Deinde vota precesque Deo ab Episcopis oblata, ut Pontifici Innocentio, qua pacis sunt; inspiraret.

Ac denique Regis pietatem, & sapientiam commendâsse, quòd ecclesia Pastoribus sic quidem, qua acciderant, insinuari voluisset, ut tamen plenam
cis

eis libertatem relinqueret; sentiendi, dicendiq³, quæ in rem opportuna viderentur. Hæc fuisse, quæ in eo Conventu Antistites Galli præstissent. Nihil hic esse, quod accusationem, multoq³ minus, quod censuras & anathemata mereretur. Quid enim justius, quam Principi in Ecclesia Pastores tam benigno, gratias referre? quid æquius, quam tanto Regi, belli pacisq³, artibus, & tot victorijs florenti applaudere, ac de Religione & Republica tam egregiè meritum encomijs prosequi? Prudentia quoq³, rectaq³, rationi nihil æquè consentaneum, quam ea temporum difficultate, ita sententias moderari, ut ancipiti responso nec Pontificem arguere, nec Regem viderentur. Aliud esse rem aliquam approbare, aliud silentio transmittere. Silentium enim à nullis Pontificum censuris percussum esse, imò nec potuisse, cum sæpe ad prudentiam spectet; prudentiam verò non pœnas, non censuras, sed laudem mereri. Nihil ergo à Belluacensi commissum, quod Purpurâ indignus esset.

Hæc Gallorum argumenta erant, quibus adjuvare causam suam nitebantur, & ijs tandem ipse Pontifex accessit, Janfonio in Senatum Purpuratorum accepto. Dicitur non potest, quantum ea res Cæsarem offenderit; quippe & majestate Imperij, & ingentibus perpetuisque contra Turcas victorijs longè alijs Regibus majorem, magisque de Republica Christiana meritum, & tamen præteritus videbatur, nullo ex ejus voto, inter Cardinales adlecto. Sed indignanti Pontifex respondebat: pro uno Gallo, plures Austriacæ Domui addictos, charosque Imperatori electos esse.

II. Alexandrum interim, ut cum Gallis transigeret, omnia conantem, primò spes concepta fefellit, deinde mors etiam oppressit, lite non minus, quam sub Innocentio flagrante. Prius tamen, quam morte fungeretur, vocatis ad lectum Cardinalibus, expositisque mirâ animi præsentia, quæ pro pace inter Sedem Apostolicam, Regemque Christianissimum componenda, fecisset; quamque votis ac laboribus suis malè responsum esset, Diploma, seu Bullam jam dudum à se conceptam, retentamque exprimi, legique à Cardinali Albano jussit, quâ quidquid à Gallia Episcopis in Conventu Parisiensi Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo peractum erat, improbatur. Sic Alexander Pontificatum suum clausit, relicta tantæ rei conficiendæ curâ Innocentio duodecimo Successori; ut videlicet bellum pro justitia & Religione ab uno Innocentio susceptum, ab alio Innocentio finiretur.

III. Du o præsertim novi Pontificis animum perurgebant; & quòd ferre non posset, tanto jam tempore & tot in Gallia Ecclesias suis Pastoribus destitutas: & quòd durante diffidio, pax etiam inter Christianos Principes, gravissimo bello confingentes impediretur, ac Turcico Imperio jam ferè colliso, vires iterum & potentia redirent. Ergo omni contentione laboratum, ut sublatis utrimque discordijs, pax cum Gallo sanciretur. Multa huic operi obstabant. Nec enim Antistites à Rege promoti admitti priùs poterant, quàm in Comitijs Parisiensibus contra Pontificis auctoritatem decreta revocarent, sponderentque, nihil se facturos, quo Regaliam recèns Provincijs liberis impositam, agnoscere viderentur. Utrumque difficillimum factu, & tot impedimentis obnoxium credebatur, ut superari vix possent. Diu, multumque certatum; alijs semper alijsque componendi modis, & productis, & rejectis, ut penè spes nulla boni exitus superesset. Tandem, cum & Pontifex & Gallus conciliari festinarent; in has conditiones conventum. Gallia Antistites, qui à Rege nominati ad Ecclesias sue Sede causa stricte, non agnoscerent: Regaliam, donec à Romano Pontifex verò, abolitâ præteritorum memoriâ; Episcopos Ecclesijs, quas à Rege acceperant; potiri permitteret, solemnique, more Bullis ac Diplomatis necessarijs instrueret. Ita utrimque conditum, belloque domestico finis impositus.

IV. Pontificis ad Sacrum Collegium oratio in Consistorio hæc fuit.

Venerabiles fratres!

JAM diu est, quod plurimas florentissimi Gallia Regni Ecclesias Pastoribus viduatas, intimo cordis affectu misereamur: Ex quo verò Divinae bonitati placuit ad præcellsum hoc Apostolici muneris culmen, & ad sollicitudinem omnium Ecclesiarum humilitatem, Nostram vocare, deplorabili sanè tot animarum periculo consulere dies, noctesque assidue cogitamus. Tandem

dem cum quò gravissima rerum, ac temporum difficultate non alia æquior hæctenus occurrerit ratio huic necessitati prospiciendi, de complurium fraternitatum Vestrarum consilio in eam sententiam ivimus, ut ex eorum numero, quos Nobis Charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus nominavit, illos dumtaxat, qui satis notis Cleri Gallicani Comitij anno 1682. habitis non interfuere, nec inibi gestis meritò ab hac Sancta Sede reprobatis, ullatenus assensere, quosque non modò ab ea labe immunes, sed & alioquin idoneos legitimis documentis fore constituerit, ad Ecclesiarum Regimen admitteremus. At verò, quoniam eorum aliqui ijs Ecclesijs præficiendi erunt, quibus ipsum Regaliæ onus non ita pridem invecum fuit, ne ulla unquam ex hac nostra nominatorum admisione suspicio oriri possit probatæ à Nobis, seu dissimulatæ saltem ejusdem Regaliæ servitutis, ijs omnibus, qui præfatis Ecclesijs, quæ ejusmodi oneri obnoxia verè non sunt, præficientur, pro commissi nobis Pastoralis officij debito, nostræ non minus, quàm ipsorum Conscientiæ consulentes, seriò injungemus, ut memores Sanctionis Oecumenici Concilij Lugdunensis, pœnarumque ab eo inflictarum, ipsi Regaliæ nullatenus consentiant; Sed ab ijs omnibus abstineant, unde illius usus admissus quoquo modo videri posset, donec plenius gravissima hac de re judicium ad Apostolicam Sedem suo jure pertinens, & legitimè interpositâ nonnullorum appellatione delatum, quod Nobis integrum reservamus, suo tempore, si opus fuerit, proferatur. Ceterum de eximia ejusdem Christianissimi Regis pietate, filialique in hanc Sanctam Sedem observantia plenè confidimus,

Eeeee

iplum

ipsum omninò facturum, ut quemadmodum pluries sperare Nos fecit Regium Edictum, quo in præfatis Comitij edita de potestate Ecclesiastica declaratio firmabatur, viribus, & effectu vacuum re ipsa ab omnibus habeatur. Nostræque erga Majestatem suam paternæ Charitatis, quin imò, & causæ ipsius Justitiæ daturum, ut nihil Nobis imposterum etiam quoad universum Regaliæ negotium desiderandum supersit, qua de re ipsum hortari, admonere, atque etiam in Domino obsecrare non desistemus.

Quæ omnia Vobis in primis Venerabiles fratres innotescere dignum duximus, qui tanto religionis ardore, ac pietatis merito humilitati nostræ in Universalis Ecclesiæ regimine assistitis, ut vel inde agnoscatis, nihil Nos ab Ecclesiasticæ Libertatis, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatis tuendæ proposito deflectere. Sed Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, ac precipuè felicitis recordationis Innocentij Undecimi, & Alexandri Octavi super præmissis editis Litteris constanter inhærere, atque ad extremum usque vitæ Spiritum adjuvante Domino inhæuros, ut creditam nobis Pontificiæ potestatis plenitudinem illibatam servemus, & immaculatam hæreditatem, uti à Domino accepimus, Successoribus relinquamus.

Episcopi ad Pontificem in hunc modum scripsêre:

Beatissime Pater.

*C*um in hac tandem exultantis Ecclesiæ felicitate ingentes Christiani omnes Paternæ Providentiæ Sanctitatis Vestræ fructus percipiant, facilemque in sinum Clementiæ Vestræ aditum experiamur; nihil accidere molestius nobis potuit, quàm quòd
eo nunc

eo nunc loco res nostrae sint, ut aditus in gratiam Sanctitatis Vestrae nobis haecenus interclusus videatur. Cujus quidem rei, cum eam fuisse rationem perciperemus, quod nos Cleri Gallicani Comitij Anno 1682. Parisijs habitis interfuerimus; idcirco ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti prostitemur, & declaramus, nos vehementer quidem, & supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitij praedictis, qua Sanctitati Vestrae, Ejusq; Praedecessoribus summopere displicuerunt, ac proinde quidquid in eisdem Comitij circa Ecclesiasticam Potestatem, & Pontificiam Auctoritatem decretum censi potuit, pro non decreto habemus, & habendum esse declaramus, & quidquid ibidem deliberatum in Prajudicium Jurium Ecclesiarum censi potuit; pro non deliberato habemus, & habendum esse declaramus, quin imò à mente nostra alienum fuisse testamur, quidquam decernere, & Ecclesijs praedictis prajudicium inferre, prompti insuper in profundissimi obsequij, quod Sanctitati Vestrae prostitemur, & demissa reverentia pignus ita nos gerere, ut de debita nostra, quam ad extremum vitae spiritum Sanctitati Vestrae impensissimè prestabimus, obedientia, & de nostro pro tuendis Ecclesiae Juribus zelo nihil unquam posui desiderari. His itaq; perlectis nostris litteris speramus, & Sanctitatem Vestram humillimè obtestamur, ut nos in gratiam, benevolentiamq; tandem receptos, Ecclesijs, ad quas Rex noster Christianissimus nos nominaverit, proficere non dedignetur, quò maturius animarum saluti, & Christianae Religionis utilitati, ipsarum Ecclesiarum Juribus, & dignitati, ut sincerè Sanctitati Vestrae prostitemur, studium omne nostrum, & curam impendamus. Interim Beatitudini Vestrae tanquam Beati Petri Apostolorum Principis Successori Christi Domini Vicario, totiusq; militantis Ecclesiae Capiti veram, & sinceram obedientiam, quam jam promisimus, iterum promittimus, vovemus

& juramus, ac multos, & felices annos pro bono totius Ecclesie ex animo precamur.

Regis litteræ ad Pontificem Innocentium ita conceptæ erant
Tres Sami Pere qua latinè sic habent,

Beatissime Pater.

Multa mihi semper & egregia de Sanctitatis Vestre ad Pontificiam hanc Dignitatem promotione pollicitus eram; cum nihil ambigerem, Eam quamplurimum ad Ecclesie totius, nostræq; Sanctæ Religionis incrementa ac splendorem profecturam. Nec ea me spes fefellit, cum non sine ingenti meo gaudio, quæ in uiriusq; commendationem, maximumq; augmentum à Sanctitate Vestra magnificè, præclareq; gesta sunt; oculis usurpationemq; eam quoq; ob causam filialem meam in Beatitudinem Vestram reverentiam semper intendi. Et quia animo statui, quæ maxime rursus possim, id ipsum Sanctitati Vestre testatum facere; latere Eam nolo; jam à me provisum esse, ut Edictum quo Parisiensium Comitiarum declaratio Anno millesimo sexcentiesimo octuagesimo secundo die secunda Martii, munita fuerat; quodq; eorum temporum conditio à me expresserat, effectu deinceps careat, suspensumq; censeatur. Et verò ut maxima mihi cura ac voto est, ut non solum Sanctitas Vestra animi mei sensu, verum etiam Mundus totus venerationem intelligat, quæ eximias, sanctasq; Ejus virtutes impensissimè amplector; ita persuasum quoq; habeo, nihil passuram desiderari, quo Ejus paternam in me charitatem magis magisq; experiar. Precor interim Deum, ut Sanctitatem Vestram quamplurimis annis, & felicissimam conservet.

V. Hactenus Episcoporum Regisque litteræ. Novum ergo pro Romana Sede argumentum & testimonium à Gallis habitum: quando sententiam Pontifici adversam, & Parisijs vulgata